

V g.
1251



Q
R
M.
IL
C

E
pos.

P
luit
iectio
in E



QW. 214.

QW. 214 24

V_g

1251

RESPONSIO

M. NIC. GALLI ET M. FLA.

ILLYR. ad quorundam Misnensium

Côcionatorû literas, de quaestione,

An potius cedere, quam lineam

uestem induere de-


beant.

Matth. 10.

Ecce ego mitto uos, sicut oues inter ^lu-
pos. Estote igitur prudentes, sicut serpentes.

Galla. 2.

Paulus ne ad horam quidem cedere uo-
luit in Cæremonijs pseudapostolis per sub-
iectionem, ut ueritas Euangelij permaneret
in Ecclesia.



1787

1787

RESOLUTION

MICHAELIS

ad quendam

propositionem

quae dicitur

quodammodo

est

Actum

in diebus

Actum

in diebus



ap
tū
iur
ru
me
uap
mi
q
sti
li
Cu
ato
na
no
ter
ro
io
fi
rea
cu
tu
gr





EST sane proh dolor, ut scribitis, uerum, ea iam tristissima Ecclesiae tempora esse, ut neque lex apud sacerdotes, neque consilium apud senes inueniatur. Cuius rei causa est, tum quod ipsimet senes Ecclesiae impijs se coniunxerunt, nobisque hasce miserias pepererunt, atque ita aurum nostrum uel Arabico melius, in scoriam & Creticum nostrum in uappam commutatum est: tum quod homines impij astutissima consilia, uaferrimaque excogitant, quibus nos, Ecclesiamque Christi concutiant & labefactent.

Quale obsecro est uel istud ipsum Diaboli uersutissimum inuentum de Alba ueste? Cui si resistitur, paruae rei repugnari uidetur, atque ita se pijs Doctores odio onerant, bonaque omnium uenia pelluntur, tanquam non iustis causis moti, sed φιλοεικία, contendendi studio, non assentiantur: Sin uero cedunt, faciunt initium & aditum maioribus mutationibus, populus enim assuefit mutationibus, & spectandis istis, quae antea est summe detestatus: Quibus ferendis, cum oculi (qui alioqui facilius offenduntur) assuefacti fuerint, facilius animus etiam grauiora feret, quae tamen non perinde in

oculos incurrunt. Ita quoque te uertas,
ipsi te suis fraudibus circumuentum irreti-
tumque tenent. Sicque fit, ut partim perfidia
eorum, in quibus summa fides esse debuisset,
partim astutissimis impiorum consilijs Ec-
clesia ita illaqueata sit, ut prorsus omni
consilio destitui uideatur.

Verum in hisce ipsis miseris Ecclesiae,
quae profecto iam summæ sunt, adhuc non
tam consilium nobis deficit, quam animus
pie fortis, qui monstratum consilium sequi
constanter uelit. Nam (ut primum dica-
mus de doctoribus) propalam est, istos uo-
lentes decipi, & petulanter errare, qui acci-
piunt Excerptum, ac postea, ut & uos signi-
ficatis, sibimet nescio quas interpretatio-
nes comminiscuntur: Se id non facere prop-
ter Papam, sed propter Ecclesiam, atque ideo
adhuc Papæ errores damnare: Item se nol-
le ligari conscientias illis traditiunculis, at-
que ideo eos una die peragunt, altera omit-
tunt. Sciunt enim, quo consilio sibi ista no-
ua Interim proponantur, sciuntque, quod, ut
maxime eis talis aliqua libertas initio per
aliquot hebdomadas concedatur, tamen
paulo post eis odiosa illa cantilena occine-
tur. Hastu mich (den Auszug) genommen/so
wirstu

mustu mich behalten, non sicut tibi libet,
sed ad uerbum. Hoc illi cum probe sciant,
tamen petulanter nescire uolunt: Miseræq;
Ecclesiæ persuadere conantur, nihil adhuc
mali adesse, ne principio morbi resistat.

Nec illud quidem recte fit a meliori-
bus Pastoribus, quod quamprimū eos Lu-
pus quocunq; prætextu iubet deserere gre-
gem, periculumq; minatur, illi protinus fu-
giūt. Oporteret enim eos dicere: Me Spiri-
tus sanctus præfecit Episcopum gregi huic,
ut ei diligēter attendam: Cum igitur tu me
iubeas, sine iusta causa statione hac, in qua
a Deo collocatus sum, cedere, scias me hoc
non posse pie facere, oportet enim magis
obedire Deo, quam hominibus.

Prorsus non pie faciunt Pastores, quod
Lupo iubente a grege discedunt, si uident
suam discessionem in damnum ouium, ue-
ræq; pietatis, et non tantum priuatū cæde-
re. Impie illud magistratus mandat, & ipsi
non pie parent. Permaneant igitur in do-
cendo, uel inuito Tyranno, ut Apostoli fece-
runt, patiantur aliquid pro lege & grege, &
cum prorsus extrema imminere uident, aut
cum eos ipse grex ferre non uult, tunc demū
sequantur regulam Christi, si uos fuerint p-

sequeuti &c. excutite puluerem. Hactenus de
pastoribus, iam de ipso grege.

Vehementer porro in eo peccatur ab
Ecclesia, quod solos concionatores in cer-
tamine relinquit, in solosq; odium confes-
sionis reijcit. Deberet enim simul tota
Ecclesia, tum supplicare principi unanimi-
ter pro Religione & Doctore, tum indi-
care se nullo modo uelle, ut earum pastor-
iam mutationes aliquas in Ecclesia recipi-
at, sibi enim seuerissime mandatum a Chri-
sto suo unico pastore, ut caueant fermentum
Pharisæorum, Item, ut uitent Lupos
in pellibus ouium uenientes, atq; ita simul
cum pastoribus grex confiteretur, & pate-
retur. Si ageretur de aliquibus eorum poli-
ticis magnis damnis, profecto non ita
dormitarent, nec totum laborem, ac mo-
lestias in solum Consulem reijcerent, aut
ei soli totam rem concederent. Sed sem-
per est postrema Christi cura, ipsiusq; reli-
gio amissa in minimis damnis ponitur.

Verissimū igitur est, quod quanquam nō
abūdemus prudenti cōsilio, tamē etiam ma-
gis destituamur animo ad confitendum pa-
tiendumq; pro Christo parato. Non de uo-
bis hoc tantum dicimus, sed & de nobis,
atq;

atq; adeo proh dolor de tota Christianorū
turba. Quare, cum in corpore pati no-
limus, conscientiam perturbatam circū-
ferre cogimur. Dominus Iesus exsuscitet
nos spiritu suo, nosq; in ista turpi somno-
lencia aliquanto uiuaciores efficiat. Hanc
nobis iustissimam querelam magnus animi
dolor extorsit, iam ad quæstionem.

Quæritis, an cum uobis tota doctrina,
sacramenta, reprehensio abusuū, & reli-
qua omnia libera relinquuntur, solam Al-
bam uestem induere possitis, aut uero poti-
us Ecclesiam deserere debeatis.

Respondemus primū ad priorem partē,
nos non uidere, quomodo uobis omnia a-
lia libera relinquunt, cum nusquā pollicean-
tur, se fore cōtentos uel Alba ueste, uel Zus-
zug seu Excerpto, uel etiā ipso Lipsico In-
terim, Imo cū illa omnia iam urgeāt, & nō
tantū in Lipsico Interim, sed etiam in Zus-
zug, sint manifeste religionis corruptelæ.
Non putamus latronem relinquere pecuniā
uiatori, cū primū ab eo petit tantū uestem,
uel similia, non obscure interea indicans,
se ademptis illis, & reliqua postulaturum.

Vos ipsos certe non dubitamus ita sen-
tire, atq; adeo omnes sana mente præditos,

quod tantum ideo parua ista mutationum
initia iam proponantur, ut, quia principia
semper sunt difficillima, per ea aditus reli-
quis omnibus sequuturis impietatibus pa-
teat. Quomodo autem hoc principium se-
quuturis malis fenestram patefaciat, superi-
us indicatum est, & saepe inculcat Aristote-
les, cauendas esse in politicis paruas muta-
tiones, nam per eas aditum parari maximis.
Quare nostro iudicio non sola Alba uestis
petitur, cum per eam maioribus malis uia
paratur. Nec uobis alia libera relinquun-
tur, cum ne uerbulo quidem Tyranni pol-
liceantur, se non esse post mensem, aut du-
os plura petituros, imo iam per Excerptum con-
traria serio flagitent. An igitur propterea
deserenda sit Ecclesia, superius aliquid dixi-
mus, & postea sub finem dicemus. Hic iam
ad quaedam uestra argumenta de scandalo
abnegatione, & quod in gratiam Papae ni-
hil faciat, respondere uolumus.

Primum Dicitis uos non curare sues in
uestro grege, qui fortassis scandalizarentur,
& uos accusarent, &c. Imo nos sic intel-
ligimus de alijs perturbatis Ecclesijs, non
sues in eis, sed imbecillas ouiculas scanda-
lizari. Et praeterea cauendum est, ne etiam

ipsi

num pfi sues de nobis male grunnire possint, ac
cipia nomen Domini uel ab impijs male audiat,
reli dum nos esse arundines uento agitaras late
pa ac longe dicetur.

Secundo ait, uos non abnegare, quia
nihilominus sitis ore confesuri. Responde-
mus, non tantū ore, sed etiam externis acti-
onibus & gestibus confiteri, aut certe non
cōtraria agere, Christianos oportet. Ad hæc
ninquā tantum ore confitendo efficere po-
teritis, ut abstergatis omnem maculam ab-
negationis per uestem factæ. Plures enim
scient uos albam uestem suscepisse, quam
uestrarum concionum singulas sententias
curiose examinabunt.

Postremo, quod dicitis Ineum istud in-
dusium non esse iam uestem Papæ, sed Ec-
clesiæ, respondemus, Scitur causa efficiens
omnium istarum mutationum, nempe Ba-
byloniæ meretricis, & eius bestiæ, in qua e-
quitat, mandatum: Scitur & causa forma-
lis, sic in Papatu usitatum fuisse: Item fina-
lis causa tenetur, ut scilicet sic paulatim to-
tus Papatus restituatur. lubet autem Paulus
I. Cor. 10. ut diligenter cogitemus, quid
impij de suis idolothytis sentiant. Quare
non excusat malum, q̄ etiam Princeps iam

& tota regio & populus uester suæ tranquillitatis, uitandiq; periculi gratia idem a uobis petunt, quod hostes Christi. Quicumq; enim tandem subinde meliores procuratores, & p̄motores istarum mutationum inuenientur, quantumuis docti, sancti, & penitus Euāgelici, tamen Antichristi principalis, summiq; Domini characteres esse propterea non desinent.

Quæritis igitur, quid tandem uobis faciendum putemus, cum istæ mutatiōes uobis proponuntur? Respondemus, primum ex illis ipsis, qui eas proponunt, quærendū esset, cur eas mutationes urgeant, & an uelint esse illis cōtenti, nec plura petere. Supplicare etiam deberetis, ipsi principi non tantum uos, sed & plures simul doctores, atq; adeo totæ Ecclesiæ, ut uelit pati, uos eam religionem, formamq; ecclesiæ retinere, quam usq; ad hoc tempus habuistis, quamq; piam esse ipsemet agnouerit, ac quā se laturum in sua regione pollicitus est. Obtestemini eum propter Deum, ut contentus politica obedientia, uelit pati uos dare etiam Deo ea, quæ Dei sunt?

Hæc omnia cum frustra fierent, urgeretq; iam mandatum Doctorem, ut aut discerdat,

quil
uo/
unq
ato/
in/
ti, &
prin/
esse
fa/
uo/
um
ndū
ue/
up/
non
res,
ios
ne/
is,
quā
b/
us
ti/
tq;
e/
t,

dat, aut uestem accipiat, respondendum ei
esset, & principi & pro cōcione Ecclesiæ ex-
ponendum, se a Spiritu sancto, & non a tē-
poralibus dominis gregi huic Episcopum,
Pastoremq; datū, non posse mandantibus
hominibus ab eis discedere (oportere enim
se mandatū Dei humano præferre) nec etiā
uestem induere, propter prædictas causas:
præsertim autē cum uideat omnia eo ten-
dere, ut restituatur Papistica impietas, ut
Lipficum Interim eiusq; cōpendium testan-
tur, quantumuis Achitopheles cōtraria fa-
cto impudenter protestentur.

Hoc profecto oporteret concionatores
dicere, atq; ita miseris ouiculas de adueniē-
te Lupo, seu Antichristo clare & sæpe, mul-
tūq; admonere. Hortetur pastor auditores,
ut diligenter orent Deum, supplicent prin-
cipi, postremo & patiantur potius, quiduis
quā ueram pietatē sibi paulatim corrumpi
sinant, dicat se sane libēter suā periculi par-
tē laturū, sed scire debere eos, quod & ipsos
confiteri, & pati oporteat. Atq; ita unani-
miter expectetis cum grege uestro uel lupo-
rum morsus, uel Domini liberationem.

Si Achitopheles isti uehementer cla-
mauerint, uosq; suis sæuis dictis pro-
telare

ela re uoluerint, quod ob solam uestem tā-
topere contendatis, sicq; uos odio uulgi o-
nerare conabuntur: quærite ex eis, an non
amplius flagitent Lipsicum Interim, & eius
compendium, sed sint contenti, sola ueste?
Quod cum affirmare non uolent, facile erit
ostendere, eos impudenter mentiri, q; de so-
la alba ueste pugnetis, Quāquā & Excerptū
ipsum eos nimis clare mendaciū arguat,
nam alba uestis est minima pars istorū no-
uorum Interituum.

Petite etiam ab eis, ut, quoniā sunt tam
sapientes uiri, dicant tamen aliquas graues
causas, cur alba ueste Ecclesiam Iesu Chri-
sti perturbent, an sciant, se posse sic Diabo-
lum, Antichristum, & impium mundum
placare? Aut aliquam eximiam disciplinam
aut ordinem per istam diuinā uestem effi-
cere, aut quodnam tandem eximium bonū
per eam se consequuturos certo sciant?

Si sunt tam sapientes, ut uideri uolunt,
fortassis aliquas serias grauissimasq; causas
istius suæ innouationis, & perturbatiōis tot
ecclesiarum exponent: Atq; ita haud dubie
facile omnes Christianos persuadebunt, ut
lineum indusium induant. Sin forte non
poterunt iustas causas istarum tantarū per-
turbati-

turbationum afferre, fortassis pudebit istos honestos homines, (si quid tamen adhuc frontis habent) quod temere tantas turbas cieant, tam multas Ecclesias perturbent, tam multos bonos, pios & doctos Concionatores, crudeliter persequantur. Atque ita aliquando contra uos furere desinent.

Exhibete quoque eis Declarationem Abs. Anno 4 6. impressam, in qua toties tamque magnifice repetitur, istas ecclesias habere Christianas Cæremonias & puram religionem, in qua certissime, ac de communi consensu statuerint, tam Domini, quam Subditi, se constanter uelle usque ad sepulchrum perseuerare. Obtestemini igitur eos propter Deum, ut permittant uobis in ea ordinatione & religione perseuerare, quam tantopere in eo scripto deprædicant. Aiunt etiam in eadem se adhærere Augustanæ confessioni, & ab ea nullo modo deficere uelle. Ostendite igitur eis præsentem mutationem in multis partibus uehementer pugnare cum Augustana confessione, ut nuper in Adhortatione ad Misnicas Ecclesias probatum est. Obsecrate igitur per Christum uestros dominos, summos & infimos, ut uobis in ea Ecclesiarum forma (quam tantopere ibi deprædicarunt

runt

runt, atq; in ea se suos subditos defensuros
large polliciti sunt) permanere liceat. Id
si diligenter feceritis, fortassis eos adhuc
pudebit, quod iam contraria agant ijs,
quæ tunc tam plenis buccis prædicarunt,
seq; eo nomine iactarunt. Sed relegite
obsecro illam declarationem, illasq; tu-
mentes Bullas ad rei ueritatem conferte.

Quod si apud eos nulla prorsus sa-
nitatis spes, pudorisq; est, tunc tamen
uestris auditoribus sic ostendere poteritis,
tum q;, quoniam nullas iustas causas istarū
mutationum, istiusq; albæ uestis proferre
queant Adiaphoristæ, certissimum sit, eos
aliqua occulta monstra alere, fraudesq;
parare, quibus Ecclesia resistere, & non
cedere debet: Tum etiam, eos istis corrup-
telis religionis contra illas magnificas pol-
licitationes de retinenda pura religione us-
q; in sepulchrum confundite & retundite.

Christus cum alios Christianos, tum
imprimis Doctores iubet prudentes esse, ut
serpentes. Non debemus tam stolidi esse,
ut cum protestationes, factæ contrarias in
rebus Ecclesiasticis fieri uideamus (a quan-
tumuis demum magnis Absolonibus fi-
ant) illis nos decipi patiamur. Scribunt
illi,

illi, Experientia ipsa testabitur, nos non
uelle restituere ueteres abusus. Imo quæ
potest haberi melior Experientia, quã Lip-
sicum Interim, & eius proles, in quibus
monstris non tantum abusus, sed & corru-
ptelæ doctrinæ de iustificatione, pœnitentia
sacramentisq; restituntur, ut hoc prolixius
alibi a nobis probatum est. Hic est manife-
stissimus abusus, qui iam in aliquot Eccle-
sias intrusus est, quod restituntur latinæ
Papisticæ cantilenæ, horæ & Missæ, quæ
dum ociose coram non intelligentibus gar-
riuntur, necessario piæ germanicæ cantile-
næ & Psalmi, quæ Ecclesiam uehementer
ædificauerunt, excluduntur. Manifestus
est planeq; horribilis & hic abusus, q̃ cum
tum Lipsicum Interim, tum eius excerptum
prolixè garriant de usu Cœnæ Domini,
nusquã tamen fidem flagitant, nec monent
sumendum esse corpus Dñi in memoriam
eius, atq; ita secūdū nouam istam sacrilegā
Papistarū sapientiam uerba illa, Hoc quo-
tiescūq; feceritis in memoriam mei facietis,
non ad cōmunionem, sed ad Missam per-
tinere indicant. Perinde ergo hæc p̃testatio
pugnans cum factō uera est, ac ille ante
triennium in politicis negocijs factæ, ue-
ra fue-

re fuerunt, quas, quia omnibus notæ sunt, cōmemorare necesse non est.

Satis constat quoq; ante annos quatuor ipsum M. a Cæsare reuersum bene, potum, in quadamarce dixisse, sibi compertum esse Cæsarem in biennio, aut uelle euertere Euangelium, aut non esse Cæsar. Vnde clare apparet, iamdudum omnia ex composito acta esse, & Achitopheles ac Iudas impudentissime plurima simulasse, & mentitos esse, idq; & hodierna die facere cū summo politiarum Ecclesiarumq; damno. De qua re uos ideo monemus, ut tum uos tum uestræ oues sitis aliquanto cautiores contra istas Diabolicas Arctolycorum fraudes. Prorsus enim, sicut Germania politice perijt, quia nimium impudentissimis impiorum simulationibus & mendacijs credidit, ita iam spiritualiter ac in religione per eandem stultam credulitatem & turpissimam uel potius prodigiosam somnolentiã sciens uolensq; turpiter perit.

Hæc est nostra sententia charissimi in Christo fratres, sicq; uos contra Satanam, impium mundum, Babyloniam meretricem, & eius bestiam, pro lege & grege uestro pugnare debere. Certo certius est, omnes præsentis mutationes, siue magnas, siue

siue paruas eo tendere, ut aut reuera hæc
religio aboleatur, & Papistica restituatur,
aut certe id simuletur. Si id reuera agitur,
ut clare ex Lipsico Interim, ac eius sobole,
eorumq; multis sermonibus & consilijs est
manifestum, tum sane summū malum pro
foribus adest, cui modis omnibus resisten-
dum est. Sin uero tantū simulatur abiectio
religionis, cor autem gubernatorum adhuc
aliquanto melius est, tum certe est ipsissima
abnegatio, cui omnes Ecclesias summis co-
natibus resistere oportet. Hoc sane sapien-
tes mundi huius negare non possunt, quin
placare impios Tyrannos uelint, uel reue-
ra a Christiana religione deficiendo, uel
certe defectionem simulādo. Quare cha-
rissimi fratres, quid dubitamus, quin om-
nino sit istis milleartificis Satanæ, eiusq;
filiorum pestilentissimis conatibus summa
uigilantia repugnandum?

Monete diligenter uestras Oues de ma-
lis in istis mutationibus latentibus, mone-
te ac protestemini coram Deo, & hominib;
uenire lupum, tectum alba ueste Ouis, insa-
nire iam foris circa stabula præ rabie, ac
quærere omnes rimas, p quas irrepere pos-
sit, uideant, ne eum intromittant, sed uo-
biscum

B

biscum

biscum unanimiter contra istum Beerwolf
depugnent, ac pericula sustineant.

Vbi uos eas serio ac sæpe de Arctolyco
circa stabula obambulante irrumpereq; per
Adiaphora uolente monueritis, & in reti-
nenda uera pietate laboraueritis, grauias pe-
ricula & afflictiones aliquas sustinueritis, at-
q; ita uestre conscientie satisfeceritis, nec
tamen oues uestræ uobiscum periclitari, confi-
teri, ac lupo constanter repugnare uolue-
rint, tum tandem excutite puluerem de pe-
dibus uestris, protestemini uos boni pasto-
ris officio functos, sed eas sibi a lupo caue-
re, ac contra eum pugnare nolle. Atq; ita
data eis hac benedictione, quod quoniam
in corpore & re familiari pro uera pietate
pati in Christi nomine non uoluerunt, er-
go in conscientia & anima in nomine Di-
aboli pro Antichristianismo patiantur, pul-
uerem de pedibus excutite & discedite.

Illud tamen potius summo studio agite,
ut apud gregem uestrum maneatis, nec im-
pia Absalonis mandata curetis, pulcher-
rimum huius constantie exemplum Ambrosij
habetis, qui iubente imperatrice, ut discedat
templo, & abeat in exilium, dixit se non
discessurum esse, Potius laturum, ut in tem-
plo

pro iuguletur. Non debetis igitur ullo modo Tyrannis parere, ac ad ipsorum minas ueluti mercenarij tam facile a grege fugere. Longe pulchrius uobis coram Christo erit, uirgis caesos ex ciuitate ut extrudi, quã bona Tyrannorum uenia discedere.

Illud tamen sit uestrum summũ studium summusq; conatus, ut quã maxime fieri potest, preces piorum excitetis, & intendatis, eosq; ad spẽ auxilij diuini erigatis. Hoc est illud præcipuum telum, præcipuaq; machina, qua nos Christiani, uel ferreos montes perfringere possumus, Eam igitur in istis summis rerũ difficultatibus ardentè serioq; adhibeamus. Experiemur profecto tandem ueracem esse Christũ, qui dixit, Quicquid petieritis in nomine meo fiet uobis: Citius cœlum ac terra transibit, quã ut uerbum promissaq; Domini nobis irrita fiant.

Hæc ad uestras literas fratres in Christo dilectissimi respõdere iam nobis uisum est. Aliquanto prolixius nam in Adhortatione ad Misnias Ecclesias de officio Doctorum & auditorum dictũ est. Dominus autem Iesus suo spiritu uos, nos & omnes suos ita illuminet, & robustos efficiat, ut cognoscere Satanæ cogitationes queamus, & eius

B 2

melodias

Methodiæ ignitaq; tela scuto fidei, gladi-
oq; spiritus fortiter repellere possimus, ip-
sumq; Satanã, & impiũ mundũ, per Chri-
stum, mudi Satanæq; uictorem, fortiter uin-
cere, contereque ualeamus, Amen.

Nicolaus Amsdorffius & propter hãc
causam subscripsit, quod n̄, propter quos
alba uestis est inducenda D. Martini Luthe-
ri sancti uiri doctrinam damnant, & per-
sequuntur. Manu propria

Comperi certo iam & in Mansfeldensi
Comitatu cõcionatorib; obtrudi Al-
bam uestẽ, ea spe ac pmissione, quod
Cæsar sit futurus ea mutatione contentus.
Huiusmodi qui alijs persuadere uolunt, sunt
parum uerecundi, qui uero credunt, sunt ni-
miũ stolidi, cũ Cæsar subinde repetat, se uel-
le ad uerbũ seruari Interim. Hisce & simi-
libus Ecclesiæ calamitatibus mederi perdis-
ficile est, cum & lupos nihil mentiri pude-
at, & Oues, Pastores & Canes õnia prorsus
quãtumuis absurda plenaq; fraude, & quã-
tumuis sæpius ab eijsdem decepti facile cre-
dant & accipiant. Quare oro dominum Ie-
sum, ut ipse regat ac seruet ueram pietatẽ,
nam homines certe nihil magis cupiunt,
quam

quam, ea abiecta in Aegyptum redire. Si
tamen qui adhuc sunt, qui in uera pietate
constantes esse uolunt, nec uel ad horam Sa-
tanæ & Antichristo cedere, ut ueritate ser-
uent, illi suis Achitophelibus proponant
litteras Cæsaris ante annū ad Comites scri-
ptas, petantq; sibi contrarias eis ostendi,
unde istam suam tam certam aurei sæculi
spem hauserint.

O sancte Ambrosi, qui optimum Cæ-
sarem Theodosium propter unicum crude-
le factum subita cōmotiōe parratum tem-
plo arcere ausus es, obsecro, quonam mo-
do exciperes istos præclaros Christi cōfesso-
res, qui sic coram Tyrannis Christum cō-
fitentur, nos quidē tibi maximas agimus
gratias, quod nobis contrariam nostræ re-
ligioni proponas, sumusq; paratissimi eam
accipere, sed quia sunt hic quidam opera-
rij mali nebulones, quorum opera carere
non possumus, nq; non uolunt penitus de-
ficere a Christo, Oramus igitur te, ut eis
uel particulam Christi concedas. Scelerate
profecto facit quicumq; talibus Christi ab-
negatoribus sacramentum porrigit.

Sed nos proh pudor mortua iam ca-
dauera omniq; Spiritus sancti uita destitu-

B 3

ta pu-

ra putrescimus. Tantum abest, ut Politici
& Epicurei homines in suis lustris, cubili-
bus & aulis cōcionatorum templiq; repre-
hensiones ac obiurgationes timeant, ut illi
insuper inde pgressi gigātea audacia Christi
Apostolis totiq; Ecclesiæ leges religiōis cæ-
remoniarumq; ferre, non uereantur. Opor-
tet Pastores fortius pro sibi a Spiritu S. cō-
missis ouibus cōtra lupos pugnare, aut
pfecto ollm in æterno exitio Do-
mino gregis acerbissimas
pœnas luere cogen-
tur.

Matt. Fla. Illy.

Impressum Magdeburgi
apud Christianum
Rhodium.

li
ti
e
r
s

al
li
gi

gi



75. 1257. 011

(X220 5416)



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.



QVK. 214.

QVK. 214 24

Vg
1251

RESPONSIO

M. NIC. GALLI ET M. FLA.

ILLYR. ad quorundam Misnensium

Cõcionatorũ literas, de quaestione,

An potius cedere, quam lineam

uestem induere debeant.

Matth. 10.

Ecce ego mitto uos, sicut oues inter lupos. Estote igitur prudentes, sicut serpentes.

Galla. 2.

Paulus ne ad horam quidem cedere uoluit in Cæremonijs pseudapostolis per subiectionem, ut ueritas Euangelij permaneret in Ecclesia.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

10

